C

Vſus radicis in trimatu tantum, neque antè neq; poſtea. Pellunt interaneorum animalia. Ex his tineas cum melle, cætera ex uino dulci triduo potæ. Vtraque ſtomacho inutiliſsima. Aluum ſoluit, primo bilem trahens, mox aquam. Melius tineas cum Scammonij pari pondere. Radix eius duûm obolorũ pondere ex aqua, poſt unius diei abſtinentiã bibitur, melle præguſtato, contra rheumatiſmos. Neutra danda fœminis, quoniam grauidis abortum, cęteris ſterilitatem facit. Farina earum ulceribus tetris inſpergitur. Iumentorum quoque ceruicibus. Folia cimicem necant, ſerpentem non recipiunt, ideo ſubſterni utile eſt in locis ſuſpectis. Vſtæ etiam fugant nidore.

APPENDIX.

Filix ſemine prorſus caret.

Falſum & cõmentitium hauddubiè eſt quicquid neoterici aliqui de Filicis ſemine fabulantur: quod ſcilicet una ſolſtitiali nocte floreat, eademq; hora cum defloruit maturum in terram ſemen cadat, ideoq; niſi quiſpiam tunc affuerit, nec uideri florem, nec colligi ſemen poſſe, tum quia incredibilia ſunt, tum quod omnes, Theophraſtus ſcilicet, Galenus, Dioſcorides, Plinius, ſterilem & ſine ſemine dixerunt. Neq; etiam medici uel Arabes uel Perſæ ad magicas uanitates nati, ſeminis huius meminerunt. Quapropter omnia hæc agyrtarum cõmenta eſſe uidentur humanæ ignorantiæ ad quæſtum impudenter illudentium, quæ certè uel una hac ratione abundè ſatis confutari poſſunt, quod cuncta illa fieri & obſeruari natali nocte diui Ioannis Baptiſtæ præcipiunt, cum natalis ea nox & ſolſtitialis illa duodecim dierum numero nunc inter ſe diſtent.

D DE PEVCEDANO. CAP. CCXXVII.

NOMINA.

Fœniculus porcinus.

Peucedanus unde dicta.

Pinaſtellus.

ΠΕΥΚΕΔΑΝΟΣ Græcis, Peucedanus Latinis, officinis & herbarijs noſtræ ætatis Fœniculus porcinus dicitur. Germanis Harſtrang/ Sewfenchel/ oder Schwefelwurtz/ quod lachryma è radice ſulphuri aut thuri ſimilis exudet. Peucedanum autem nomen inuenit à pinu, quæ Græcis πεύκη dicitur, cui folio par eſt. Hinc poſteriores Latini Pinaſtellum eum uocauerunt.

FORMA.

Officinarũ Peucedanus non eſt genuina.

Caulem emittit tenuem, macilentum, Fœniculo ſimilem. Comam habet circa radicem copioſam & denſam. Florem luteum, radicem foris nigram, intus albam, graui odore, craſſam, liquore plenam. Hæ ſanè omnes notæ, nulla prorſus reclamante, huic quam pictam exhibemus herbæ conueniunt. Officinæ, quæ non rarò adulterinas pro genuinis uendũt herbas. Peucedanũ oſtendunt radice nõ ſuccoſa, ſed lignoſa, nec graui odore, ſed iucundo: unde ſatis cõſtare poteſt uerum non eſſe.

LOCVS.

Gignitur in montibus opacis, potiſsimum in monte prope Tubingam, cui olim arx impoſita fuit, in itinere uerſus Rotenburgum ſito.

TEMPVS.

Floret Iulio & Auguſto menſibus, atque deinceps ſemen producit. Radix foditur exitu autumni.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit ordine ſecundo iam completo: deſiccat uerò tertio iam incipiente.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radice adhuc tenera Peucedani cultello inciſa liquor effunditur, profluensq; ſtatim in umbra reponit: in ſole ſiquidem langueſcit. Facit cum colligit capitis dolores & uertigines, niſi quis antea roſaceo nares præungat, & caput irrigat. Radix aſſata

inutilis

PEVCEDANVS